

diligenter examinata petitione Marci quondam Georgii marinarii habitatoris Jadre, coram nobis oretenus in iuditio facta, contra et aduersus Johannem dictum Geri districtus Janue, ibidem presentem et intelligentem, in qua quidem petitione petebat dictus Marcus dicto Johanni ducatos undecim auri, pro resto solutionis mensium quinque et dierum XXI, quibus dictus Marcus dicebat se seruisse eidem Marco (!) pro marinario, ad rationem ducatorum trium in mense, dicens dictus Marcus quod hoc uolebat probare per testes fidedignos. Et exaduerso audita et intellecta responsione, etiam coram nobis in iuditio facta, per dictum Johannem, negantem se promisisse dicto Marco ducatos tres in mense, et uolentem ut testes producendi per dictum Marcum examinarentur, quod si dicti testes producendi ut supra, probarent et testificarentur quod dictus Johannes promiserit dicto Marco ducatos tres in mense, quod tunc uolebat de premissis contra eum ferri sententiam. Unde productis testibus, uidelicet, Vocasino Toscauac marinario, examinato per nos iudices predictos, qui dicit quod in eius presentia dictus Johannes dicto Marco dixit, ipsis existentibus Barlecte: « Remane et stes mecum eo salario quo stetisti postquam recessimus Jadra »; et Jacobo de Cesamis, alio teste producto ut supra et examinato, qui suo sacramento dicit quod dictus Johannes rogavit dictum Jacobum ut ei inueniret unum marinarium, qui Jacobus inuenit Marcum predictum, quem Johannes predictus uidens, secum concordauit, uidelicet, quod promisit eidem Marco dare pro uno viaggio usque Barlectam ducatos tres auri, et elapsis octo diebus postquam applicuerit Barlectam, dare mense singulo quo secum steterit ducatos tres auri pro mense singulo. Et generaliter visis omnibus et singulis, que per nos uidenda discutienda et examinanda fuerunt, per ea que uidimus et cognouimus et nunc uidemus et cognoscimus, CHRISTI NOMINE inuocato, sedentes pro tribunali sub logia magna, loco et more solitis, talem nostram sententiam inter ipsas partes damus, proferimus et pronuntiamus in hiis scriptis et in hunc modum uidelicet. Quia dicimus, pronuntiamus, sententiamus et condemnamus dictum Johannem ad dandum, solvendum et numerandum dicto Marco dictos ducatos undecim auri, saluo et reseruato iure calculi, et expensas legiptimas, iurante tamen dicto Marco, secundum ordines Jadre, quod de dictis denariis non recepit in toto uel in parte, nec aliquem eius nomine uel mandato, dantes in pristaldum ad hanc nostram sententiam executioni mandandam, ser Colanum de Vitcor, tribunum curie Jadre, ibidem presentem et intelligentem, ad hanc nostram sententiam executioni mandandam. Actum Jadre, ut supra, presentibus ser Maggiolo de Fanfogna et ser Bartolo de Milano, nobilibus civibus Jadre, testibus rogatis et aliis.

*Archivio di Stato, Zara. Sezione notarile. Curia consulum et maris. Notaio Giovanni da Casoli e Pietro da Sarzana, sentenze fasc. 6, carte 5 r. e t.*

8

1408, 9 febbraio.

*Niccolò da Urbino, che aveva noleggiato un naviglio da Luca de Lodrino da Venezia, è condannato per non essersi attenuto ai patti del noleggio.*

In Christi nomine amen. Anno, indictione ut supra (1407, recte 1408), die nona mensis februarii, et regnante ut supra,